
DVCATVS
BRVNSVICENSIS
seu
LVNÆBVRGENSIS.
DESCRIPTIO GEOGRAPHICA.
Hoye Comitatus pars.
DVCATVS LVNENBVRGENSIS PARS.
MARCHIÆ BRANDENBVRGENSIS PARS.
MAGDEBVRGENSIS
Schawenburg Comit.
Der Diester Sylva
Spiegelberg Com.
Stift Minden
Der Elm
Hal
berstadt
Stift
Wernigeroda Com.
Rheinstein Comit.
Auf dem Hartz
Waldt
GRVBENHAGEN
Hohenstein Comit.
Manssfeldiæ Comit.
Stolberg Comitat.
Corvey.
Solling Sylva
Das Eichsfeldt.
HASSIÆ PARS.
THVRINGIÆ PARS.
Milliaria Germanica communia

operam suam accommodantibus. Anno Christi 1550 obsedit eam iterum Dux, quumque in alterum usque mensem durasset obsidio, jamque annona ingravesceret, edicto Cæsaris ab armis discedere utraque pars jussa est, & controversias suas jure disceptandas committere. Sed triennio post iterum obsessa est ab eodem, multo quidem, quam antea arctius, ac tormentis verberata. Sed revocatus est à sociis Noribergensibus & Episcopis duobus Herbipolensi, & Bambergensi, quorum tunc sumtibus bellum gerebatur. At anno 1615 obsidione iterum urbem cinxit Henricus Iulius, evocatis etiam in auxilium copiis Regis Daniæ Christierni, affinis sui. Sed quum Anseatici fœderis civitates suppetias ferrent, Ordinesque Fœderati Belgii misso Henrico Frederico Nassovio, jam Principe Auriaco, & Holland. Zeland. &c. Gubernatore, à partibus civitatis starent, exercitumque finibus Brunsvicensis territorii admovissent, soluta est obsidio, & concepta quædam perpetuæ ac duraturæ concordiæ capita.

Halberstadium. Secundum locum obtinet *Halberstadium*, situ admodum opportuno. Nam præter aquarum commoditates tanta est agrorum ubertas, ut segetum culmi equitem superent altitudine. Accedit ad hæc nitor & elegantia platearum, ædificiorum splendor, amplitudo fori, & collegiatum Canonicorum sodalitium. Vrbs est Episcopalis, quam perluit Oltemia fluvius. Adservantur diplomata Caroli Magni, data anno 804, quibus ejus Episcopatus termini circumscribuntur. Episcopatus huc translatus fuit anno Christi 819, vivente adhuc primo illius Episcopo S. Hildegrino, nam fundatus fuerat primo in Salingstede anno 777. Anno 1568 IVLIVS, conditor Academiæ Iuliæ, Erico Iuniori succedens, ditionem Brunsvicensem, Calenbergensi domui adjunctam occupat: quam in duas regiones usitate distinguunt. Superior, Transylvana, Gottingam metropolim, & Mundam ad Visurgis & Fuldæ confluentem, Senatus aulici sedem, Ericoburgum & alias arces ac præfecturas circiter viginti continet. Inferior, Deistro, & Leinæ fluviis interjecta, civitates Hannoveram, Neapolim, Hamel, Munder, Bodenwerder, Pattensen, Wunstorff, Grunam, Lawenstein, arcem Calenberg, &c. complectitur. *Leina* vero fluvius in ditione Hennebergensi, ad pagum *Grimmen*, uno milliari ab oppido Meiningen versus ortum scaturiens, longos ambagibus tandem in Ducatu Brunsvicensi urbem *Gottingen*, Alfeld, Grunaw, Calenberg, *Hanover*, Neapolim, alluit. infra quam, prope pagos Ducatus Luneburg, Bothmar & Alden, nobilium sedes, uno supra Retham milliari, in Alleram illabitur, atque inde Verda, Episcopi sede prætervecta, Visurgi tandem miscetur. *Deister*, non fluvius sed sylva est, & mons ingens, in Comitatu Schaumburgensi exurgens, & Calenbergam arcem versus aliquot milliaria porrectus. Alius vero est Vester fluvius, supra Goslariam ex Hercynia promanans, qui Hildesiam & Sarsted oppidulum; sesquimilliari Hildesia distans, allabitur, nec procul inde à Leina fluvio absorbetur. *Aller* vero, in diœcesi Magdeburgensi, prope arcem Egensted, sedem Aschenburgiorum oritur, & Wolfisburgum seu Welforum, clarissimæ familiæ Bartesleborum arcem, & Cellam aulæ Ducum Luneburgensium, & Verdam Episcopi sedem, præterlapsus; quatuor supra Bremam milliaribus se in Visurgin exonerat, & nomen magno perdit in amne minor.

Familiam Ducum Brunsvicensium qui volet, petat ex Chytræo, quam non ex altissima origine, ut quidam, ab Actio Navio Augure, qui, Tarquinii Prisci Regis Romanorum ætate, cotem novacula dicidit: neque à Sigeberto Atestino, quem Longobardica stirpe ortum Volateranus & Sigonius affirmant: sed à Guelfis Bavariæ Ducibus nobilissimis, ante sexcentos annos, virtute, sapientia, opibus, potentia, & autoritate in Germania florentissimis, nusquam interrupta masculi generis continuatione, propagatam repetit.

K 881
LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

DVCATVS BRVNSVICENSIS.

Sed bene habet, quod & Brũsvicensem Ducatum exhibeat Auctor. Ditio est amplissima, à Magdeburgensis & Halberstadiensis Diœcesis finibus, & ab Hercynia silva ad Albim usque excurrens. Crevit suis successibus, uti solent rerum magnarum parva esse principia. Ex vico facta est urbs, inde abiit in Comitatum, ac tandem sub annum Christi MCCXXX factus est Ducatus à Frederico II Imperatore, divisa tunc ea ratione Saxonia, ut Ducibus Brunsvicensibus ex domo Saxonica ortis magna admodum Saxoniæ pars cederet, Saxoniæ vero ducibus cum magno titulo exigua ditio superesset.

Origo.

Metropolis Brunsvigæ. Metropolis ejus est *Brunsviga*, condita à Brunone Saxoniæ Duce, à quo etiam nomen habet. Frater ejus Danewertus vel Tanquardus arcem condidit, quam de suo nomine Danckwerderödam appellavit. Hæc nunc pene collapsa est. Templum B. Iacobi iidem fratres extruxisse perhibentur, priusquam à Normannis, qui in Saxoniam effusi sunt, ingenti prælio cæderentur. Nova urbs Brunsviga autorem habet Henricum Aucupem. Templum vero quod in ea est cathedrale, fundavit Henricus Leo, qui idem S. Catharinæ ædem struxisse dicitur. Tanta nunc ejus est præstantia, ut neque magnitudine, neque pulchritudine, neque victus commoditate ulli civitati in Germania cedat. Duo millia passuum complectitur suo ambitu, tantumque fere patet latitudine, quantum longitudine. Ad orientem habet diœcesin Magdeburgensem, ad meridiem nemus Hattonicum, quod pars est sylvæ Hercyniæ. Occasum versus est Episcopatus Hildeshemius. Ad Arctum Ducatus Luneburgensis. Vrbem perlabitur fluvius Onacra, ortus ex silva Hattonica. Mœnia habet duplicia, fossas duplices, fora quinque, totidem prætoria & Magistratus. Cives libertatis amantes sunt, opifices industrii: Magistratus gravis & prudens. Anno Christi 1229 mortuus est Dux Henricus Elector Palatinus, Dominus Brunsvicensis, relictis post se duabus filiabus, quæ urbem Henrico Cæsari Friderici filio vendiderunt. Permoleste id tulit Otto Duneburgi Dux, ad quem hæreditatis jure urbs pertinebat. Itaque manu duorum millium equitum contracta, adjuvantibus civibus clam urbem invasit, & cum præsidiario milite conflixit, eamque expulit. Inde habita ad cives oratione promisit ampla ipsis privilegia, si se reciperent, quæ etiam admissus dedit. Hinc tanta urbi libertas. Reconciliatus Frederico Imperatori Otto Ducis titulum obtinuit, & eorum, quæ fecerat, confirmationem. Anno Christi 1291, defuncto Guilielmo, distracta est civitas in factiones duas. Populus enim Tribunos plebis constituerat, qui se Senatui opponerent, quoties aliquid statueretur, quod ipsis displiceret. Forte autem decretum fuit aliquid, in quo civium maxima pars Senatus partes sequebatur, tribus vero sententiam Tribunorum suorum duodecim, quos ipsi elegerant; quumque eo tempore in urbe esset Henricus Dux, cognomento Mirabilis, qui Tribunos istos plebis cum suis mœbatur, tribunitii sigillum literasque ei tradiderunt, rogaruntque ipsum, ut quum senior esset, præ minore fratre civitatem obtineret. Ægre id tulit Senatus cum meliore civium parte, quocirca fœdus ipsi cum Alberto fratre minore fecerunt clanculum, eumque noctu in urbem admiserunt. Is occupata Curia novæ urbis Præfectos tribuum capit & urbe pellit. Capit & duodecim viros, atque ex his decem suspendit, uni caput detruncat, duodecimus fuga sibi consulit. Etsi vero noctu urbem invasisset, militesque duxisset prædæ avidos, ita tamen eos cohibuit, ut nemini civium injuriam fecerint, aut cujusquam bona rapuerint. Vrbe potitus, præsidia disposuit necessaria, & evocatos ad se rerum novarum studiosos ita oratione delinivit, ut eum fratri majori prætulerint, Dominumque agnoverint, pullo Henrico Mirabili. Anno Christi 1492 ingens dissidium extitit inter Henricum Seniorem & civitatem, ob bona, quæ in agris possidebat respublica Brunsvicensis. Cum enim ab ea postularet, ut communia onera cum reliquis sibi subditis ferret respublica, utque solveret vectigal mercium, quæ vel importarentur, vel exportarentur, neutrum obtinuit. Orto itaque bello & obsessa irrito conatu urbe cum eadem certis legibus in gratiam rediit. Anno 1542 ab Henrico Iuniore Duce Brunsvicensi oppugnata iterum & diversata urbs fuit, cum nullum finis pacis consiliis locum relictum videret, imploravit opem Iohannis Frederici Electoris Saxoniæ, & Philippi Lantgravii Hassiæ, quorum fœderata erat. At hi justo exercitu arcem *Wolfenbuttel* invaserunt, eamque in fidem suam redegerunt pullo Duce. Religionem quoque mutarunt, civibus ad eam rem

Metropolis Brunsvigæ.

Termini.

K 881